

ster ebullit, emittitque spiritum penetrantis odoris sulphurei, martialis, nitrosi, non minimæ quantitatis, unde fons est permanens & incorruptibilis, optimi saporis virtutisque martialis nitrosæ, quam & coagulatam in fontis fundo ipsis videre possumus oculis, veluti ultimum nostrum demonstrat experimentum.

*Experiment. V.*

Lapides in fontis incili sive ductu coagulati ramenta metallica sabulumque gliscens demonstrant nitrosum, unde eorum fragmenta igne examinata nitrosum martiale, vix quidem sensibilem, spirant odorem, si vero usta eluuntur, relinquunt ramenta aliquid metallici, quod naturæ videtur esse martialis & ulteriori indiget perscrutatione. Interim iuxta fontis incilem signa sua prodit vena quædam metallica martialis.

*Confectaria quædam vim fontis medicam  
paucis declarantia.*

*Confectarium I.*

Fons noster ob depositum suum Tartarum sive lapidem purissimus, contra morbos facit omnes Tar-tareos, malum Hypochondriacum, spleneticum, ne-phriticum & podagricum; præprimis si aliis specifi-cis simul adiuvatur, etiam æstum sangvinis, acrimoniæ biliofam, ardorem ventriculi, dolorem capitis,

B 2

vapo-

Specia-  
lissima  
cognitio  
fontis  
nostræ  
Natura-  
lis salu-  
bris &  
soterii.